



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Conversatione Apostolica - A Curatoribus Animarum piè & fructuosè instituenda ; Complectens varios & solidos modos juvandi & consolandi diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè aegras & captivas ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

§. 1. Quanti momenti sit ministerium adjuvandi ægros & moribundos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49274)

ta videbuntur, seligam, atque in breve compendium reddenda hoc capite offeram. Quæ quidem omnia iterum ad quinque ferè capita reduci possunt, videlicet 1. Ut ægros solite consoletur. 2. Ut eosdem fructuosè occupet. 3. Ut eos rite a morte disponat. 4. Ut illos contra tentationes efficaciter muniat. 5. Ut illos in ultima lucta discretè animet, ac confortet.

§. I.

Quanti momenti sit ministerium adjuvandum ægros & moribundos.

I. **M**ulta quidem à varijs motiva afferuntur ad ministerium huius gravitatem ostendendam, sed quæ ad tria nempe ad summam necessitatem, summam utilitatem, summam denique jucunditatem, revocari possunt; hæc tamen namque si Operarius sæpe ac seriò ponderaverit, dubitari non debet, quin ignis ardentissimi ad ægros ac moribundos adjuvandos desiderij in hac meditatione sit exarsurus. Quare operari præmium videtur, ut singula ex tribus hisce motivis breviter demonstrantur.

II. Et in primis quidem summa huius ministerij necessitas ex quatuor argumentis colligitur. 1. Quia à bona morte moribundi salus, & ipsa beatitudo dependet; nam, uti Salomon Eccl. 1. ait: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Si bene finit vitam, in Austro erit æternæ beatitudinis: si malè, in Aquilone æternæ miseræ. Unde meritò Justus Lipsius, teste Drexlerio in æternam Sanctissimam Cœli Reginam in morte sic allocutus fertur: *O Mater DEI, adesto famulo tuo cum æternitate stanti, & ne deseras me in hac hora, à qua æterna salus mea dependet.* 2. Quia malæ mortis detrimentum irreparabile est; cum enim semel duntaxat quamvis mori contingat, necessario sequitur, errorem, qui hîc admittitur, nullo ingenio corrigi posse. Si ergo Lamachus non ignobilis apud Laomedæmones Centurio sapienter admonuit, summam in militia vigilantiam requiri, non enim perinde errari in bello, ac quæ alijs in rebus, eò quòd error ibidem sit irreparabilis, ac item in istis; quantò magis similis vigilantia & sollicitudo in hoc extremo prælio, in quo de cujusque præliantis salute agitur, agatur.

tur, adhibenda erit. 3. Quia nunquam homo tantopere indiget auxilio, atque in isto transitu; tunc enim conflictus est terribilior, vires debiliores, impedimenta graviora, & rerum occurrentium multitudo major, quam unquam fuerit; unde merito, sicut Dæmon videns tunc breve tempus superesse, & vel obtinendam, vel amittendam victoriam, auget furiosam ac rabidam suam diligentiam, ita Operarius quoque spiritualibus armis munitus accedere, omnemque in protegendo ac confortando moribundo industriam adhibere debet.

III. Jam verò summam quoque in hoc ministerio utilitatem reperiri, vel ex eo satis patet, quod nec ipsi ægro major felicitas obvenire, quam æterna beatitudo, ad quam procurandam hoc ministerium unice dirigitur, obvenire; nec ipse Operarius ad eandem felicitatem olim obtinendam certiùs, efficaciusque medium adhibere posse videatur. O quam lætas (inquit Philippus Servius Operarium alloquens p. 1. §. 1.) quam jucundas depromet voces animi memoris indices, quis operam tuam & industriam viderit se è periculosis mundi hujus fluctibus eductum in tutissimo salutis portu conquiescere! Crede mihi, pro referenda gratia DEUM precibus sollicitare non desinet, usque dum in cælo gaudij tanti socium habuerit, cujus obtinendi tam bonum in terris nactus est Adjutorem. Quòd si beati (ut loquar cum Scriptura) fraudari nequeunt à desiderio suo, intelligis, opinor, Operarie, quam utiliter operam locas, atque adeò, cum moribundos adjuvas, te non magis illorum salutem, quam tuam velificari; nam si Apostolo Philippensibus, quos ad pietatem erudierat, dicere libuit: Gaudium & corona mea omnes vos estis; quomodo non erunt gaudium & corona tua, quos ad gaudium, coronasque cælestes quasi manu duxeris?

IV. Quòd verò summa etiam in hoc ministerio jucunditas inveniatur, iterum tum moribundi ipsi, tum Operarij fideliter illis assistentes propria sua experientia edocti testantur. Quæ enim major ægro lætitia obtingere potest, quam si in casu omnium terribilium terribilissimo, ut ait Aristoteles, amicum fidelem habeat, qui, teste Siracide c. 6. est protectio fortis, medicamentum vitæ & immortalitatis, cujus consiliis anima perinde dulcoratur, quemadmodum unguento & variis odoribus delectatur cor? certè nihil æquè ægrum reficit, re-

ste Se-

ste Seneca ep. 79. quàm amicorum affectus. Quòd si verborum nullum in orbe majus est gaudium, quàm bonæ & seræ conscientia lætitia, hoc maximè tempore, quando prope venturus creditur Judex Jerusalem in lucernis scrutaturus singulorum conscientias examinaturus, an non iterum jucundissimum dicemus moribundos juvandi ministerium, cui primaria cura, laborque eò potissimum tendit, ut bonam moribundus conscientiam possideat, & cum illa spem certamternæ felicitatis concipiat? Nec minor sanè ipsi quoque raro jucunditas ex hoc ministerio orietur; quid enim jure diùs accidere potest Apostolico alienæ salutis zelatori, qui animam, pro qua, teste S. Chrystomo hom. 48. in Pl. unigenitus DEI Filius non mundum dedit, non hominem, non aurum, non mare, sed pretiosum sanguinem, eripere Diabolo DEO lucrari? custodire à flammis perpetuis, & æternis gaudiorum facere participem? quam lætitiâ in morte percipiet, qui meminerit, se tam copiosum tot moribundis solam creâsse, atque adeò eadem sibi mensurâ à DEO consolationem mensuratum iri? quàm incredibilem denique voluptatem post mortem percipiet, si tot animas in cælo videat inexcussibili gloriâ fruentes, sibi que eam gratissimo animo adhibentes? Expertus sanè hanc voluptatem est Religiosus ille, qui, cum confessiones pauperum libenter excepisset, cæloque submisisset, ab iisdem obviam sibi venientibus post mortem è purgatorio liberatus, magnâque gratulatione ac pompa cælum est deductus, uti Joannes Major in spec. Exempl. Confessio ex. 18. refert.

V. Ex quibus omnibus facilè nunc liquet, quàm magis de hoc ministerio æstimatio sit concipienda, quàmque æstivæ gravis censenda sit negligentia eorum Operariorum, qui in negotio socordes & languidi fuerint deprehensû, maxime per socordiam hanc fieret, ut is, quem adire in morbo extraxerunt, negligissent, sempiternis ignibus addiceretur, quem tamen duobus fortè verbis cælo asserere potuissent; DEUS bone operæ iterû Servius, quo animo in te futurû putas? quas non flammâ quas non furoris faces in caput tuum ejaculaturus est? Sed et ipse DEUS impunitam talem socordiam finet; id quod Petrus quidam è nostra Societate expertus est, ut idem Servius in autographo eo fideli p. 1. §. 3. refert, qui post mortem se cuidam alteri

Patri ex condicto spectandum dedit, asseruitque, se propterea, quod tardior, negligentiorque in invisendis, juvandisque moribundis fuisset, tempore sat longo à conspectu divino exclusum, iustum fuisse ubivis gentium ac locorum animam agentibus præsto esse, eosque in morem Angeli Tutelarum, quæ precibus, quæ monitionibus internis, salutaribusque inspirationibus adjuvare. Addidit quoque, non se solum, sed alios quoque bene multos diversorum Ordinum Sacerdotes ob consimilem negligentiam simili pœna castigari.

§. II.

Quibus dotibus præditum oporteat esse Operarium, qui ægris & moribundis fructuosè assistere cupit.

I. **U**Ti ad Sacerdotem in genere, ita vel maximè etiam ad eum, qui cum ægris & moribundis fructuosè agere cupit, gemina dos, virtus scilicet & scientia requiritur; per has enim si corpus & animam ægri lucratus fuerit, cum gaudio quondam dicere poterit ad Christum: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum.

II. Porro in specie agendo de singulis, virtutes quidem sequentes requiruntur in eo, qui prædictis personis prodesse cupit. 1. Est orationis studium, per quam tum sibi necessariam ad negotium tanti momenti gratiam à DEO frequenter petat; tum ipsos etiam, cum quibus acturus est, ægros peculiari affectu DEO in Missæ præsertim Sacrificio commendet. 2. Est Zelus Animarum, qui si unquam, hoc tempore, necessarius est; absque hoc enim languidè obibit hoc munus, & hoc ipso minùs ab ægris amabitur, atque adeò minorem quoque in eorum animabus fructum faciet. 3. Est Patientia & fortitudo, quæ tum omnes difficultates, quæ plurimæ in hoc munere occurrunt, generosè contemnat; tum molestias ex ipso morbo aut ægri vitijs subinde exoriri solitas, religiosè, alacriterque sustineat; in hac enim patientia possidebit animas curæ suæ commissas. 4. Est mansuetudo, cum enim ægri plerumque amaritudinibus unde quaque sint circumdati, æquum est, ut Sacerdos desideratum dulcium verborum saccharum & mel pro temperanda hac acerbitate offerat. 5. Discretio,